

spiritualibus ex toto denegant: adeò, ut sine Deo nihil quicquam possimus facere, ne cogitare quidem ex nobis, quasi ex nobis: sed nostra incavórtis à solo Deo dependeat. Mat. 7. 18. Ioh. 3. 27. & cap. 6. 44, 1. Cor. 4. 7. Ioh. 15. 5. 2. Cor. 3. 5.

64. Quem in modum rectè D. etiam Augustinus, Liberum Arbitrium nihil quicquam, nisi ad peccandum valere: ad justitiam verò, nisi divinitùs liberatum adjutumque fuerit, nihil facere posse, pronunciat. l. de Sp. & lit. c. 3. l. 3. cont. duas epist. Pel. c. 8. Tom. 7. Col. 1371. a & b.

65. Et lib. 3. hypognofticòn scribit: Esse fate-  
mur liberum arbitrium omnibus homi-  
nibus; habens quidem iudicium rationis.  
non per quod sit idoneum, quæ ad Deum  
pertinent, sine Deo aut inchoare aut cer-  
tè peragere: Sed tantum in operibus vitæ  
præsentis, tam bonis, quàm etiam malis.

66. Quibus ita discussis, manifestum evadit,  
Quomodo voluntas hominis se in ipsa  
conversione habeat: nempe non ut causa ef-  
ficiens, aut quovis modo cooperans: Sed potius  
ut ipsum subjectum convertendum, in quo  
Spiritus sanctus solâ sua virtute, sine ullâ coope-  
ratione hominis per verbum auditum efficaciter  
operatur fidem & conversionem: sive, ut Apосто-  
lus loquitur, & velle & perficere, Phil. 2. 13.

67. Et hoc est, quod B. Lutherus dixit, Homi-  
nem in Cõversione sui, sese habere mere passivè.

T T †

Sive